

di, nominatim circa Roinich (Rudnik) sub dominio regis Rasciae et Glaž (Glaes) dominio regis Hungariae. Attamen, cum Franciscani bosnenses eo ipso curam pastoralem gerendi jus habeant, ne inde confussio oriretur, Gregorius XI salvare voluit jus parochialium ecclesiarum, ideoque concessioni clausulam adjunxit: »Iure parochialium ecclesiarum, si quae in eisdem civitatibus vel partibus sint, vel erunt pro tempore, ... in omnibus semper salvo«.¹⁵ Et re vera ex litteris Gregorii XI anni sequentis (1373) de die 3 februarii eidem exhibitum fuisse videtur dubium et petitio, quid juris habeant fratres extra Bosnam quoad provisionem spiritualem populi. Ipse in suis litteris ad Vicarium Bosnae primo agnoscit fratribus jus a S. Sede datum in Bosna ministeria parochialia exercendi; sed extra Bosnam in christianorum dominio (tales considerabantur terrae regi Hungariae subjectae) easdem facultates ac in Bosnam concedit illis tantum in locis, in quibus schismatici et haeretici permixti cum catholicis vivunt »usque ad partes fidelium, in quibus distinctae parochiae et catholici rectores curam animarum gerentes consistunt«.¹⁶ Eodem anno paulo post fratres bosnenses plura alia loca in metis *Hungariae, Bosnae et in Corbavia* erigi petunt, quia, etsi ibi »singuli sint plebani et rectores ecclesiarum per ordinarios deputati«, nihilominus circa Valachos schismaticos »curam praedicationis vel conversionis non adhibent«; ideo plurimum expediret ut Franciscani »in illis partibus etiam in terris et locis, in quibus fideles habitant« suas domos firmarent. Ad quam sic bene distinctam supplicationem Papa facultatem dedit sex loca recipiendi, utique cum clausula »juribus tamen parochialium ecclesiarum... in omnibus semper salvis«.¹⁷ — Similis casus occurrit anno subsequenti (1374) ubi fratres bosnenses pro conversione non nulorum haereticorum et schismaticorum et pro conversorum ab erroribus et schismatibus conservatione suppli-

¹⁵ Theiner, Mon. Hung. II, 116 n. 231; AM, ad an. 1372 n. 31 (VIII, 308—309).

¹⁶ AM, ad an. 1373 n. 30 (VIII, 639—640).

¹⁷ Theiner, Mon. Hung. II, 140 n. 276. AM, ad an. 1373 n. 35 (VIII, 647—648).